

Bonincontrus De Bovi

*Hystoria de discordia et persecutione
quam habuit Ecclesia cum
imperatore Federico Barbarossa*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Bonincontrus De Bovi

*Hystoria de discordia et persecutione
quam habuit Ecclesia cum
imperatore Federico Barbarossa*

1301-1350

*Hystoria de discordia et persecutione quam habuit
Ecclesia cum imperatore Federico Barbarossa tempore
Alexandri tercii summi pontificis et demum de pace facta
Veneciis et habita inter eos.*

Exurge, gloria Venetorum, converte plantum pontificis in gaudium, quoniam te circumdat leticie vestimentum. Ecce enim nox adversitatis precessit et pro te dies prosperitatis accessit, rex enim magnificus qui facit mirabilia magna solus aperiens manum sue magnifice largitatis, quam plurimum Venetos sua bonitate replevit. Letetur quoque et exultet urbs Veneta de magnificentia summi regis qui digne eam donis et honorificentis multipliciter decoravit non inmerito ab Alexandro tercio summo pontifice annis Domini currentibus MCLXXVII concessis eisdem, qui tunc temporis cum Frederico dicto Barba-rossa Romanorum imperatore discordiam habuit persecutionemque substinuit valde magnam, que annis XVIII continue perduravit et in tantum crevit quod ipse imperator propter ipsius magnam potentiam contra papam suam perfidiam totaliter demonstravit et effectualiter habere presumpsit; mandavit et edictum fecit contra papam regibus et principibus et aliis omnibus Imperio subiectis quod dictum dominum Alexandrum Romane urbis episcopum tunc imperatori contrarium et rebellem, sub pena personarum et heris, civitatum quoque et locorum concremationis substinere defendere ac manutenere ullatenus non deberent.

Quomodo dictus dominus papa Alexander timore dicti edicti clandestine et occulte accessit Venecias ad locum Sancte Marie de caritate. Nempe dominus papa dicti imperatoris volens vitare nequitiam et ad hoc quasi nesciens remedium nec aliquod refugium reperire per

quod tute posset tantam persecutionem evadere, duo egit et perfecit: primo, deponendo papalem habitum ut pre dicto timore ignotus fieret et faciendo vitam simplicem clericalem; secundo, accedendo ad urbem Venetam clandestine et occulte ut securior permaneret in loco Sancte Marie de caritate aliquo tempore trahendo moram et ibidem celebrando divina offitia et cotidie ecclesiam visitando sancti Marci; qui factus notus ecclesiam ipsam sancte Marie postmodum consecravit et sibi annualem dicte consecrationis ecclesie indulgentiam concessit et confirmavit.

De consecratione sancte Marie ecclesie prelibate ac de quibusdam miraculis que tunc temporis in eadem ecclesia apparuerunt meritis eiusdem virginis gloriose. Prefatus namque dominus Alexander papa tercius V aprilis ecclesiam sepedictam sancte Marie de la caritate sollemniter consecravit. Que Sancta Maria de la caritate ideo vocitatur eo quod omni die in honore eiusdem beate virginis pauperibus omnibus undique concurrentibus manu largiflua caritas sive elimosina condonatur. Sed antequam ad alia prosequar quedam miracula meritis beate virginis facta in sua ecclesia prelibata hic intimare decrevi ut eadem ecclesia in honore sui nominis dedicata merito exaltetur et devotio populi in eius laudibus augeatur. Eodem anno quo iam fuit dicta ecclesia consecrata vir quidam de Canareglo nomine Nicolaus qui tibias inflatas habebat et ventrem inflatum ad instar pregnantis, faciem etiam pre nimio tumore habebat orribilem, hic dum in die consecrationis ecclesie memorate vix super baculum se sustentans super hostium eiusdem ecclesie moraretur ut ab introeuntibus caritatis beneficium postularet,

quedam matrona dixit ei: vade et monasterium intra cum aliis pauperibus consuetam elymosinam recepturus. Qui cum ad locum deputatum venisset et cum aliis a fratribus elymosinam recepisset, cellatarius, dixit ei pietate commotus: vade, inquit, frater, ecclesiam intra et beatam virginem devotissime in tui auxilium invocato; spero quod ipsa miserorum miseratrix tue miserie etiam dignabitur subvenire. At ille ante altare maius in honore eiusdem beate virginis consecratum cum lachrimis se prosternens subito obdormivit. Et ecce virgo virginum infirmorum liberatrix ei in visu apparuit dicens: surge velociter quia cito sanitatis beneficium consequeris; sed deinceps frequenter istam ecclesiam visitabis in honore mei nominis consecratam. Tunc ille cito surrexit et beatam virginem laudando gradu concito cum ingenti gaudio ad propria remeavit et deinceps prefatam ecclesiam devotione sedula visitavit. Quedam mulier de contrata sancti Marcelliani de Venetiis cum per annum ceca penitus extitisset apparuit ei per visum quedam venerabilis domina dicens: si vis lumen recipere claritatis cras incipit indulgentia consecrationis ecclesie sancte Marie de la caritate; ad eandem igitur ecclesiam vade et facias cum reverentia vestimenta beate virginis tuis oculis applicare; mox consecrationis indulgentiam obtinebis et sanitatis beneficium consequeris; nam eadem vestimenta ibidem cum honore maximo reservantur. tum illa summo diluculo ad prefatam ecclesiam veniens visionem suam sacriste eiusdem ecclesie revellavit. At sacrista vestimenta eiusdem beate virginis accipiens cum reverentia debita et devota illius mulieris oculis aplicavit. Statim vero mulier oculos aperiens et clare videns beate virgini gratias retulit et leta ad propria remeavit. Quidam

puer dum vicio lapidis premeretur et incidi deberet de consilio medicorum, mater eius ob incisionem de morte eius modicum non formidans ecclesiam beate Marie de la caritate intravit pro filii salute Deum et beatam virginem rogatura. cum igitur ante maius altare se prostrasset et cum lacrimis et suspiriis sursum oculos elevasset, audivit quandam figuram beate virginis in ulnis puerulum baiulantem que in summo trifine est musaico opere fabricata sibi dicentem: ne timeas, filia, nec formides, quia de hac infirmitate tuus filius non peribit, sed potius scias meis meritis liberatum. Mox mulier ad hanc vocem de sanitate sue prolis certificata surexit et domum vadens lapidem cum urina emissum reperit et filium sanitatis invenit gubernacula possidentem. Dum quedam navis a maris fluctibus et ventorum incursibus esset diucius cumquassata, naute iam de salute sua desperantes imagini beate virginis prelibate, que est in trifina maioris ecclesie situata, se tota devotione commendaverunt et voto emisso statim cessavit tempestas. Post modicum portum arripiunt congruentem et ad dictam ecclesiam venientes gratiarum acciones Deo et beate virgini reddiderunt. Quedam etiam mulier contracta in brachiis, que etiam quasi perdiderat dextrum latus, cum in vigilia assumptionis beate virginis in prefata ecclesia diucius permansisset et divinum officium cum devotione maxima audivisset, mane post missam de eadem beata virgine solemniter celebratam omnibus videntibus et stupentibus protinus exclamavit se esse integraliter liberatam. Aliud etiam miraculum laude dignum nolo scilencio sepellire. Quidam namque iuvenis nomine Lambertinus de Montebello territorio Veronensi ita factus est furiosus et amens quod non poterat ab aliquo detineri. Cum igitur per diversa terrarum

spatia discurreret et vagaret Venetias veniens et in die consecrationis prefatam ecclesiam beate virginis intrans divinum officium perturbaret a populo capitur et ligatur et ante altare eiusdem beate virginis presentatur. Finita missa purificationis aqua per ipsum bibita et potata sic est curatus perfecte quod de dicta infirmitate nihil ulterius unquam sensit. De multis pauca miracula hic inserere cogitavi ut ymago predicta pariter et ecclesia congrua devotione a populo veneretur. Multa vero mirabilia et diversa in eadem ecclesia per beatam virginem facta brevitatis gratia volo scilento pertransire; sed iam stilus noster se vertat ad incoatam istoriam persequendum.

Quomodo dominus papa per quendam virum factus notus est domino duci clero et comunitati Veneciarum et indutus pontificalibus vestimentis et ad ecclesiam sancti Marci honorifice sotiatu. Verum dum dictus dominus papa sic ignotus moram ibidem aliquo tempore contraxisset, ecce vir quidam volens sua quedam vota perficere dictam ecclesiam in honorem et devotionem virginis gloriose pluries visitavit; et quia fama iam erat quod propter timorem imperatoris papa fugerat et non reperiebatur nec aliquis sciebat ubi esset, quia dictus vir eum Rome pluries viderat ipsum veraciter recognovit. Qui plurimum gaudens illico ad dominum Sebastianum Çiani tunc inclitum ducem Veneciarum properanter accessit eique retulit faciens plenam fidem dictum dominum papam in ecclesia sancte Marie de caritate esse et vidisse; quem dominus dux volens huius rei certitudinem firmiter invenire ne fraudetur custodiri mandat. Investigata quoque diligenter veritate negotii vestes papales ordinantur, deinde patriarcha episcopus et cunctus clerus ac gentiles et alii boni et

honorabiles cum sollicitudine convocantur. Qui omnes cum ingenti honore et devotione ad predictam sancte Marie ecclesiam accesserunt. Pervenientes quoque predicti domini, dux cum ceteris predictis, ad ecclesiam prelibatam, dictum iuxta se virum accipiunt et papam sibi faciunt demonstrari, quem in claustro solum inveniunt cum libro in manibus dicere horas suas.

Quomodo dominus papa induitur a domino duce pontificalibus vestimentis. Dominus quoque papa videns hanc gentium multitudinem congregatam, putans nullatenus recognosci abinde secessit. dominus vero dux versus eum dirigit gressus suos et genu flexo ad terram se offerens pedes eius devotissime osculatur, pontificales vestes parate sunt cum mitra et ceteris oportunis, de quibus dominus dux eum manu propria preparat et adornat. miratur papa de tanta gloria reverentia et honore quanta ferebatur eidem, timor ab ipso recessit, audaciam resumpsit et vires, ducem quoque et ceteros benedicit et recipit, deinde cum maximis laudibus et exultationibus ad ecclesiam sancti Marci usque ad aram comitatur cum ingenti letitia et honore.

Quomodo dominus papa investivit dominum ducem de cereo albo in signum fidei et de ecclesia sancti Marci ascendit ducale palatium. Dominus vero dux in ecclesia sancti Marci suam personam, universalem quoque magnitudinem et potentiam totius comunitatis Veneciarum in eius ac sancte matris Ecclesie perpetuam conservationem et statum libere obtulit contra omnes contrarium presumentes. cuius tam late libere et plene offertionis dominus papa considerans voluntatem, in mente proposuit et firmiter statuit sicut postea apparuit operis per effectum, ducem et Venetos merito toto posse

de cunctis dignitatibus et honoribus decorare, et pro primo honore primevaeque dignitate quendam cereum candidum accensum in signum pacis et veri amoris ibi iuxta altare sancti Marci dicto domino duci presentavit et dedit et ait: hunc cereum tibi successoribusque tuis concedimus ut eo uti debeas et habere perpetuo in honorem magnificentiamque tui dominatus et ducatus de tempio sancti Marci. dominum summum pontificem cuius iam sanctitas propalata venerabatur, ab omnibus ad ducale palatium cum maximo gaudio sociatur.

De legatis ad imperatorem transmissis pro tractanda pace inter dictos principes et de concessione bulle plumbee cum qua littere ambaxate tunc bullate fuerunt. Postquam dies huius tam magne consolationis evenit, dominus dux virtute prestancior quam plurimum exagitans mentem suam et circa plurima vigilare non cessans, in suis meditationibus accinsit gladium spiritus, quod est verbum Dei meditando de pace, quo spiritu ad dominum papam accedens, pro magna gratia postulavit quod sibi placeat velit ac consentire dignetur quod circa pacis compositionem inter ipsum et imperatorem in Apulia tunc temporis residentem interponere valeat vices suas.

Responsio domini pape ad dominum ducem. Cuius ducis accepta oratione dominus papa sic respondit: sibi neque maius quicquam neque carius esse potest quam domino duci et comunitati Veneciarum eorumque virtutibus semper effectualiter complacere, et hoc ideo propter grandium honorum beneficiorumque perceptionem tam gratanter ac liberaliter sibi illatorum ab eis, quapropter de cetero a modo velle suum cum

eorum velle in omnibus suis beneplacitis statuerat idem esse.

De ordinatione literarum et ambaxate faciente domino imperatori. Cuius pontificis responsionem fore tante benignitatis exaudiens dominus dux quam plurimum congratulatur et gaudet, litteras quoque domino imperatori mittendas illico construi mandat et fieri atque scribi sententiam et tenorem huiusmodi continentes, videlicet quod dictus dominus papa Alexander in Veneciis Christi gratia iugiter residebat, deinde suadent et ortantur quod dominus imperator velit eique placeat ac consentire dignetur quod dominus dux comuneque Veneciarum circa pacis compositionem interserere valeant vices suas et tractare debeant pro predictis; quod si duxerit recusandum, demum tunc per duos solempnes legatos cum dictis litteris transmittendos exponatur eidem quod prefatum sanctissimum patrem et dominum propter honorem sancte matris Ecclesie iuxta posse relinquere minime valeremus. dicte quoque littere sic contexte domino pape corrigende ad eius libitum, presentantur; quas audire recusat sperans quam plurimum et confidens de magna bonitate et sapientia dicti ducis eiusque consilii venerandi, asserens quod totum et quicquid faciunt, sibi placet et vult; verum mandat et ordinat quod dicte littere et que de cetero per ducatum fuerint desinate, bullentur et bullari debeant bulla plumbea sancti Marci quemadmodum littere papales bullantur bulla plumbea sanctorum apostolorum Petri et Pauli; et hoc in honorem perpetuum ducatus Veneciarum concedit pariter et confirmat.

De responsione quam imperator fecit legatis predictis. Creati fuerunt dicti ambaxatores de

nobilioribus et maioribus civitatis et cum prefatis litteris et legatione honorifice ad imperatorem in Apuleam destinantur, quos imperator suique principes et barones gratanter recipiunt et honorant; domino quoque imperatori loco et tempore ordinatis prefatas ducales litteras porrigunt et presentant, deinde suam legationem et que per ducem mandata sunt sapienter exponunt. audita vero ambaxata predicta et cetera que dicti legati dicere voluerunt dominus imperator qui pacem huiusmodi repudiabat habere, sic eorum legationi respondit: vester nobis placet adventus, minime vero sermo; vos quoque recipimus cum honore ob vestre merita probitatis; speramus quod propter veri atque amoris perfecti efficaciam quem ad nos Imperiumque nostrum dux et comune Veneciarum habuerunt et gesserunt et habere ac gerere indubie credimus et speramus, nostram procurabunt intentionem effectualiter et totaliter adimplere; quare cum Venecias perveneritis Deo duce, volumus quod ducem et comune Veneciarum pro parte nostra debeatis amicabiliter salutare et dicere quod eos dulciter requirimus monemus et ortamur attente quatenus dictum papam Alexandrum nostrum et Imperii inimicum contradictorem et rebellem personaliter sustineant et conservent nec non ergastulari faciant forti et duro ferro et carceribus mancipari et trudi donec mandabimus illum nobis tradi atque mitti; alioquin si facere presumpserint, quod nullatenus credimus, eos inimicos nostros et Imperii rebelles et contrarios reputamus fidem eis nostram totaliter infringentes et ad ipsorum persecutionem destructionem et damnum nos totaliter disponentes, pro firmo tenentes quod adveniente primo novo tempore cum potenti nostro extolio galearum septuaginta quinque portum et loca ipsorum ingrediemur

nostras inde iniurias ulciscences ibique nostra seviet potentia quam sentient cum dolore et non poterunt evadere de faucibus tunc leonum.

Hic dicti ambaxatores dictam responsionem imperatoris cum mesticia recitant coram papa. Heu quam crudelis et perfida fuit hec dicta imperialis responsio cum qua dicti legati cum magno dolore mesticiaque reversi sunt! quam responsionem recitant coram papa duce et magnificencia civitatis; qua audita dictus dominus papa multum timet a populo Venetico tunc relinqui.

Quomodo dictus dominus dux se et comunitatem totam et omnem suam potentiam obtulit pro defensione dicti summi pontificis ac sancte matris Ecclesie. Dominus quoque dux forti et constanti animo cum universa potentia civitatis ad pedes summi pontificis quam plurimum predicta timentis et in tantum quod omnis consilii sibi carere et deficere videbatur, perveniens et incipiens loqui sic ait: sanctissime pater, confortemini et nolite timere, quoniam me et totam huius civitatis potentiam fortitudinem et valorem liberaliter offero do et tribuo pro defensione vestri sancti nominis ad honorem Dei, laudem et exaltationem sancte matris Ecclesie quam firmiter credimus et simpliciter confitemur, et Deo duce demonstrabimus operis per effectum. Dominus vero papa hunc sermonem audiens atque intelligens, ducem sublevat reverenter et dicit: vos in Dei ac sancte matris Ecclesie filios et precipuos defensores recipimus et habere volumus nunc et semper.

Quomodo imperator contra papam et Venetos filium eius mittit cum LXXV galeis armatis. Audiens

imperator quod Veneti totum sue intentionis contrarium peragunt, ea intentione qua dixerat preparat contra papam et Venetos vires suas eiusque filium cum galeis LXXV armatis transmittit, cuius armate ipsum in capitaneum et rectorem prefecit.

Quid fecit dominus dux quando audivit quod dicta armata iam venerat in Istriam. Cuius armate dominus dux habens nova pro certo, inpiger propere maximaque sollicitudine mandat ordinatque galeas XXX solummodo preparari. ecce venit tempus novum quo imperator dictam eius armatam contra papam et Venetos mittere non retardat. rumor sonuit quod armata imperatoris ad partes Istrie iam pervenerat.

Hic dicitur quomodo dux se parat ad navale bellum et de concessione spate quam pro iusticia observanda semper et defendenda dominus papa fecit dicto domino duci Venetiarum. Parata quoque Venetorum armata dominus dux fortis viribus ad dictum summum pontificem accedit se offerens personaliter ire velle contra istos Dei et sancte matris Ecclesie perfidos inimicos sperans Deo duce cum isto suo iusto navali bello quod paraverat, virtute et potentia divina ita viriliter pugnaturus quod victoriam obtinebit et eos in mortem et confusionem deducet. Dominus papa tantam dicti ducis probitatem advertens, unum ense mandat portari sibi, quem domino duci manu propria presentavit et dedit dicens: hunc ense tibi damus et concedimus quo possis et debeas iusticiam defendere et illesam viriliter conservare; in cuius signum pro reverentia et honore iusticie ipsam spatam tu et successores tui duces Veneciarum portare debeant et habere.

De bello domini ducis cum filio imperatoris conflictu et capto et de mirabili victoria dicti ducis.

O quanta qualisque fuit huius ensis ratio et dicti pontificis maxima licencia et exhibitio preliandi! et o quanta et qualis honoris et glorie acquisitio! quam spatam et licenciam ac Dei et dicti domini pape benedictionem et gratiam dictus dominus dux reverenter assumens dictas XXX galeas bene armatas cum exfortio suo toto viriliter ascendit, et dato signo a terra dissolvitur, maris latitudinem intrat et per miliaria L dictos reperit inimicos. Dux tunc suos sapientes consiliarios ad contionem convocat, ipsos consulit, eidem bellum accipere laudatur, suos ordinat ortatur et imperat, versus inimicos remis mare dividit et tamquam fulgur eos tam acriter et dure percutit et tam acerrimum bellum in eos deducit quod inimici se dividunt et deficiunt. dux vires suas auget hostesque suos ponit in confusionem pariter et conflictum; filium imperatoris capiunt quem ducunt Venecias captivatum.

Quomodo dominus papa ducem recipit cum victoria pro qua sibi anulum prebet ad desponsandum mare.

Cum hac igitur magna victoria summus pontifex ducem et cunctum exercitum cum apertis brachiis gratanter recipit atque dicit primo Deo gratias agens: o verus maris custos dominus et defensor qui de latronum et piratarum manibus ipsum hodie liberasti, et ipsius maris tam potentissimus acquisitor, volumus quod tu dux hunc aureum anulum recipias et mare ipsum omni anno debeas perpetuo desponsare quemadmodum vir mulierem desponsat in signum perpetui dominatus; quem honorem et dominium tibi successoribusque tuis concedimus ad habendum.

Qualiter filius imperatoris petit gratiam eundi ad patrem ad tractandam pacem. Victis hostibus, tante quoque ac talis victorie adepta laude et honore dominus dux filium imperatoris domino pape tradidit captivatum; qui cum ad libitum pontificis detemptus aliquo tempore permansisset, ab ipso domino papa et duce gratiam inpetrat habendi suum consilium in quo intendit verba profectiva atque utilia referre datur ei consilium, in quo Deo primo gratias agit, secundo honorem et reverentiam domino summo pontifici et duci et gloriosum et altum statum et conservationem perpetuam sue potentissime civitatis deinde ortatur humiliter et deposcit ut gratiam agentes ad imperatorem eius patrem abire permittant ad tractandum et procurandum pro viribus inter partes pacem concordiam et bonam voluntatem, promittens in fide sue glorie militaris quod si a patre dictam pacem et concordiam non valuerit obtinere, ad eos Venecias remeabit.

Hic filius imperatoris ad patrem ire permittitur ad tractandam pacem inter partes. Super quibus verbis per filium imperatoris superius enarratis consilio habito diligenti eum abire permittunt. qui cum in partibus Apulie descendisset, a patre et ceteris principibus et baronibus cum maximo gaudio receptus est credentes eum libere evasisse. patri quoque supplicat et ortatur humiliter quod eum in suo secreto consilio audiat et intelligat verba sua. pater enim suum ei prebet consilium et audientiam, in quo filius coram patre suisque baronibus recitat verba pacis. Pater autem audiens hunc sermonem a filio, in sua existens magna pertinacia et pacem hanc cum papa et Venetis habere repudians atque nolens, sic filium aloquitur hiis verbis:

o filii karissime, scire enim debes quod regum et mundi principum consuetudo est quod de bellis nunc victoriam et triumphum sumunt et aliquando perditam et conflictum; fili, igitur timere noli postquam libere evasisti et cum salute persone tue quoniam adhuc galeas armari faciam quadrigentas si fuerit oportunum et de inimicis predictis vindictam Deo dante reasumemus cum victoria et triumpho.

Hic filius respondit predictis verbis patris hac oratione. Super hac patris oratione filius sic patrem aloquitur: o paterna karitas et o vos patris fideles verique consultores, attendite videte et considerate bene que a patre filius impetrat et requirit, quia pacem, quam Deus suis discipulis et per consequens toti mundo pro meliori re dimisit in terris dicens eis: pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis; non quomodo mundus dat ego do, et ad hoc quod pater meus dominus imperator quem diligo super omnes, hanc rem tam preciosissimam, silicet pacem et bonam voluntatem, habeat, eam filius sibi procurare requirit; bellum quoque ad vindictam pater ut dicit reiterare minime nec ad hoc missus nec dimissus; quam pacem si pater habere recusat, fidem quam domino pape et Venetis dedi penitus non infringam, sed sicut pollicitus fui ad eos personaliter remeabo.

Hic dominus imperator precibus filii condescendit ad tractandam et habendam predictam pacem. Pater quoque dicti sui filii tantam videns constantiam et fervorem quod nec blanditie neque promissiones aliquae fieri possent ei eum valeant a pacis predictae proposito remove, tunc voluntati et precibus filii condescendit et ab ipso pacis tractatum audire consentit. Filius namque tam magnam et talem ex hoc consolationem recipit

atque gaudium quod mente et ore continue Deo laudes agens vocare non cessat et dicere: o celum, o terra, o mundi principes et o creature, omnes gaudete et exultate, cantate canticum novum et omnes superexaltate qui dominum laudant Iesum Christum, quoniam hodie pax missa est in terris quam capita postquam senserint, et membra cetera consolationem recipient et profectum; illam namque inter mundi maiores principes et dominos, papam videlicet imperatorem et Venetos, debeo per Dei gratiam pertractare, quam Deus sua bonitate tam in celis quam in terra confirmet.

Hic filius ortatur patrem Venecias accedere, quo filius premittitur et accedit ad anuntiandum Venetis de predictis et adventu imperatoris. Data vero dicta licencia filio pacem huiusmodi pertractandi, ortatur filius patrem quod Venecias personaliter dignetur accedere; pater assentit et sequitur preces nati; patrem precedit filius cum baronibus et sua honorabili comitiva ut pape et duci anuntiet imperatoris adventum. O quantus hic filialis amor!

Hic filius imperatoris domino pape, duci et Venetis sui patris adventum annunciat. Filius quoque imperatoris cum baronibus et comitiva eius sicut placuit domino Deo nostro atque beatissimo Marco apostolo et evangeliste defensori et comunis Veneciarum protectori, in vigilia beatissime ac gloriosissime ascensionis domini nostri Iesu Christi Venecias applicuit: qui statim ad pedes summi pontificis et brachia ducis accedit et eis exponit imperatoris adventum; de quo dominus papa, dux et tota Venecia quam plurimum gratulantur et gaudent et filium imperatoris cum grandi exultatione recipiunt et honorant.

Qualiter papa, dux et Veneti se preparant ad recipiendum dominum imperatorem Venecias accessurum. Altera vero die, scilicet ascensionis predictae, dominus imperator litora tetigit Venetorum. Dux cum ceteris nobilibus et maioribus et alia gentium multitudine cum honore maximo obviam ei vadit. Deinde in ecclesia sancti Marci super porta medietatis ecclesie ad recipiendum dominum imperatorem sedes et loca honorabiliter et egregie ordinantur et fiunt.

De reverentia quam fecit dominus imperator domino pape in ecclesia sancti Marci. Dominus vero imperator descendens in terram, ad ecclesiam sancti Marci honorifice sotiatur; qui accedens proprius versus papam eidem exhibet debitam reverentiam et honorem flectens se ad pedes ipsius; papa quoque cum pede tangens imperatoris personam ait illud daviticum verbum: super aspidem et basiliscum ambulabis et conculcabis leonem et draconem, cui dominus imperator respondit: non tibi sed Petro hec facio. Cui papa ait: et Petro et michi gerenti vices Petri.

De gratiarum actionibus domini pape et de maxima indulgentia quam dominus papa in dicto festo ascensionis in honorem Venetorum et animarum suarum profectum tribuit et concessit. Facta quoque Dei gratia pace predicta et inter dictos principes perpetualiter confirmata, dictus dominus papa in presentia dicti domini imperatoris suorumque principum et baronum in ecclesia sancti Marci ait hunc sermonem: laudes et gloriam agens multimodas grandi magnifice alteque benignitati ducis comunitatisque Venetorum ad eum habite ac demonstrate operis per effectum, in honorem Dei, sancte matris Ecclesie et suum, quod

beneficium non debet unquam ab Ecclesie rectoribus ulla ratione decidi; unde tantorum beneficiorum sancte matris Ecclesie presentialiter illatorum a Venetis non inmemores et ingrati esse volentes, ipsos de cunctis honoribus matris Ecclesie cupimus quam plurimum fore participes, exhibentes eisdem seu eorum honorabili basilice beati Marci apostoli et evangeliste civitatis ipsorum gloriosissimi protectoris in honorem et gloriam animarumque suarum profectum et utilitatem gloriosissimum et honorabile privilegium atque donum, asserens et confirmans quod sicut illud beatissimum festum ascensionis Domini Rome in ecclesia sancti Petri apostoli magnifice et devotissime celebratur, sic in ecclesia sancti Marci apostoli et evangeliste de cetero debeat celebrari, addens huic et statuens ac confirmans quod omni anno in perpetuum quicumque ad dictum festum quod incipit in vigilia hora vesperarum et durat usque ad vespervas alterius diei festivitatis eiusdem, vere contritus atque confessus personaliter accesserit et devote, tam a pena quam reatu sit liberaliter et totaliter absolutus, et quicumque etiam infra octavam post dictum festum ad dictam ecclesiam sancti Marci accesserit contrito animo ut dictum est, sit absolutus de septima parte omnium suorum peccatorum. Quam quidem indulgentiam et absolutionem confidens de misericordia Iesu Christi et beatorum apostolorum Petri et Pauli dedit et concessit et de plenitudine sedis apostolice confirmavit, et hoc pretextu magnorum beneficiorum et glorie quam Ecclesia sancta Dei a Venetis sumpserat tam liberaliter quam libenter. Et dicto sermone predicto dominus papa missam solempniter celebravit.

Qualiter dominus papa et dominus imperator et dux cum eis versus Romam dirigunt gressus suos et de concessione umbrellae factae domino duci. Ordinato quoque et tractato post hec quod dicti principes sedes proprias visitarent dominus dux galeas X apud illas imperatoris honorifice de gente et omnibus necessariis ordinati preparari, cum quibus dicti duo principes et dux cum eis de Veneciis recedentes in Anconitanis partibus condescendunt; Anconitani vero obviam vadunt umbrellas eis duplices asportantes; unam pape et alteram imperatori dantes et presentantes; quod papa videns mandat dicto domino duci unam terciam presentari. Qua de re imperator miratur et ait: solum in mundo putabam duo esse dominia generalia, Pontificatus videlicet et Imperii; ducem quoque Venetiarum tercium ordinatis. Cui dominus papa respondit et dicit quod ipsum dominum ducem cum Ecclesia reputat unum et idem corpus in sanctissimo Dei opere ac sancte matris Ecclesie, quod per eum ostensum est operis per effectum; et ideo merito intendit et vult et digne dat et concedit quod ipse et omnes qui post eum ad dignitatem ducatus Veneciarum pervenerint dictam umbrellam in honorem sue dominationis habeant atque ferant a... Qualiter dicti principes recedunt de Ancona et vadunt Romam et de concessione tubarum argentearum et vexillorum factae domino duci. Recedunt quoque dicti principes de Ancona et versus urbem Romanam dirigunt gressus suos et appropinquantibus Romam obviam eis vadunt cum gaudio plurimum exultantes et deferentes octo diversorum colorum stendalia et tubas argenteas deauratas, quas tubas cum dictis stendalibus dominus papa ordinat atque mandat prefato domino duci dari et presentari dicens atque volens quod ipse

dominus dux et successores eius duces in signum ...
victorie et tantorum honorum et benefitiorum perpetua de
memor... que sancta Dei mater Ecclesia tam magnifice
et gloriose recepit, predicta omnia et singula habere
debeat et tenere, ita quod de cetero spirituales filii
Dei et sancte matris Ecclesie devoti appellentur et
sint et hec omnia predicta que concessit duci et
Venetis supradictis residendo in Urbe in pontificali sede
auctoritate apostolica confirmavit.

¹ Ego Bonincontrus licet origine Mantuanus, natione
quoque Bononiensis, tamen verbo et opere totus Venetus
et Rivalentensis, domini ducis et comunis Veneciarum
notarius et offitialis hanc predictam honorabilem
istoriam hoc claro et plano epigramate construxi ad
Dei et sancti Marci laudem ac perpetuam memoriam
Venetorum.

Deo gratias, amen.